





*Anno 36. num. 12.*

*QVAESTIO* 1772, 13.  
*IURIS CONTROVERSI*

AN

*SPVRIA A VIRO LEGI-  
TIMO IN MATRIMONIVM DVCTA  
MACVLA NATIVITATIS  
LIBERETVR*

*QVAM*

*ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA*

*PRAE SIDE*

*D. CHRISTIANO HENR. BREVNING*

*PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.*

*ET SOCIETAT. LITER. OVISBVRG.*

*SOCIO*

*IN AVDITORIO PETRINO*

*DIE V. MAII ANNO CICIDCCCLXXII.*

*DEFENDET*

*CAROLVS FRIDERICVS HAVSWALD*

*DRESdens.*

---

*LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.*



El mme. de S. R.

卷之三



AN  
SPVRIA A VIRO LEGITIMO IN  
MATRIMONIVM DVCTA MACVLA  
NATIVITATIS LIBERETVR.

---

---



§. I.

Quam barbaros etiam maiores nostros Germaniaeque incolas depinxerunt scriptores, qui eorum mentionem faciunt; tamen, non omni virtute virtutisque laude caruisse, satis manifestum est. Quid laudabilius poterat de his gentibus dici, quam quod dixerat TACITVS de Mor. Germ. c. XIX. Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges. Maxime vero commendatur in his gentibus castitatis studium. Testis est ipse TACITVS c. l. qui, quamvis forsan ambitiosa romanae genti propria superbia potuisset corrumpi, ingenue fatetur: *Septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irrationibus corruptae. Literarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.* Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et mariis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae etiam pudicitiae

*cittae nulla venia. Non forma, non aetate, non opibus maritum inuenit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpt Seculum vocatur.* Quid ergo mirum, gentes has negasse famae nominisque honestatem, qui ex vago concubitu progeniti fuerant, qui tam seuerissime publicatam pudicitiam coercebant. Neque aliam huius opinionis causam habuisse videntur, quam quod pietatis atque *severi* in natos vinculo quemque a vaga Venere coercere vellent, qui sciret, prolem ex ea progenitam et nominis et famae honestate caritaram.

## §. II.

Quanquam vero ex suorum temporum atque morum rationibus excusandi sint populares, quod spuriis et ex illico coitu progenitis maculam adscripserint, neque forsan intentio eorum taxanda, quod quemque animi in progeniem affectu ab illico congressu coerceri posse cederint; tamen, re accuratius perspecta ponderataque, videntur ii rectius sapere, qui putant, mores illos antiquos ad nostra tempora male applicari. Cum enim egregia et laudabilis veterum germanorum continentia causa esset, ut rariores inter eos essent spuri, cum nec masculi, nec feminae pudicitiam desererent, sed coniugii dulce expectarent vinculum; at, a quo tempore illa continentia quasi emortua, popularesque in deterius ruere cooperunt, frequentiores extiterunt illicitae libidines, ad quas proniiores facti; hinc omni tempore copia spuriorum progenita existit. Iam si his maculam tribuimus more maiorum, poena imposta est sine crimine. Non excusamus vagam libidinem illicitamque Venerem, nec taxamus leges, quae eos puniunt, qui ordinem ciuitatis in matrimonii probatum deseruerunt, potius adulteria itupraque exercent; sed quae nobis est causa, cur eos, qui ex improbata Venere progeniti absque sua culpa iactura honesti nominis coerceamus.

Maio-

⁂ ⁂ ⁂

Maiores nostri per liberorum calamitatem coercebantur vere a vago concubitu, recentiores sensum pietatis atque ~~sagyns~~ depositisse videntur, ut nec patrem nec matrem moueat partus spuriis macula. Iam vero, quoisque malum in ciuitate mederi antiqua medicina nequit, noua media quaerenda sunt, remissis antiquis. Iniustum ergo est, suo modo ei nominis et famae integritatem negare, qui neque peccauit, neque illicitam suam generationem impedire potuit. Delicta enim tantum debent manere autorem. Laudabiliores itaque Dani, qui iniustos hos mores nouiter improbarunt, neque spuriis amplius maculam assingi patiuntur. Sed haec in votis magis sunt: in ciuili foro apud nos spuriis adhuc laborant macula, quae per sic dictam legitimationem interueniente fictione abstergenda, quo nominis et famae bonitatem et integritatem acquirant.

### §. III.

Quae cum ita sint, non quidem in genere de omnibus iis mediis, quibus spuriis nominis honestatem adquirere possunt, agamus, sed controversam tantum quaestione apud BERGERVM in *Oecon. Iur. L. I. Tit. II. Theor. XIV. et XV.* not. 2. incidenter allatam examinabimus, videlicet: *an spuria, quae viro legitimo nubit, a macula nativitatis libetur iusto matrimonio.*

### §. IV.

Sunt, qui adfificant, maculam nativitatis tolli, simulac spuria iusto matrimonio viro, qui legitimae nativitatis est, iungatur. Ne vero sine argumentis defendere videantur hanc opinionem, in rem suam vtuntur autoritate VLPIANI in L. 8. ff. de Senat. Scripsérat ICtus: *Clarissimarum feminarum nomine Senatorum filiae, nisi quae viros clarissimos fortitae sunt, non habentur. Feminis enim DIGNITATEM CLARISSIMAM MARITI tribuunt: parentes vero*



donec plebeii nuptiis fuerint copulatae. Tamdiu igitur clarissima femina erit, quamdiu senatori nupta est, vel clarissimo: aut separata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupsit. Cum hac Vlpiani opinione quoque conspirat epistola VALENTINIANI, THEODOSII et ARCADII in L. 13. C. de dignit. Scribunt: *Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus et forum ex eorum persona statuimus: et domicilia mutamus.* Si autem minoris ordinis virum postea fortitiae fuerint: priore dignitate priuatae, posterioris mariti sequentur conditionem. Concludunt itaque, si verum est, vxorem in dignitate sequi conditionem mariti, quamuis eam a nativitate non habeat, quid obstet, quo minus etiam vxor nominis honestatem obtineat, si spuria sit, atque viro nubat, qui iustae atque legitimae nativitatis est. Sed argumentum hoc dein examinabimus.

### §. V.

Grauius probandi argumentum deducunt ex Constitutione illa celebratissima THEODOSII et VALENTINIANI in L. 3. circ. f. C. de natural. liberis. Verba, ex quibus vis argumentandi peti solet, haec sunt: *Sed et si filiam naturalem, vel filias habuit, et eam vel eas curiali vel curialibus ciuitatis, ex qua oriendus est, vel sub qua vicus, vel possessio, unde oritur, constitit, vel eius ciuitatis, quae principatum totius prouinciae tenet, matrimonio collocauit: haec eadem in persona eius vel earum ad exemplum marium obtinebunt.* Quam legem postea comprobauit expresse IVSTINIANVS in Nou. LXXXIX. c. II. §. 3. Quis vero non videt, hac imperatoria sanctione naturalibus filiabus legitimarum iura tribui per solam matrimonii copulationem. Ea femina, quae illegitima erat nata, simulac curiali nubat, vel eius vxor legitima efficitur, obtinebit non tantum iura legitimae filiae, sed etiam iura familiae patris naturalis, hinc quoque successionis in bonis paternis. Vix ergo dubitari amplius poterit, matrimonium tantam habere vim,

vt

vt etiam natuitatis maculam abstergere valeat. Forsitan auget vim probandi argumentum, quod in fauorem spuriorum supra dedimus. Cum enim popularium maiorum philosophandi ratio non omnino cum strictiori iustitia conspiret, quippe absque culpae imputatione aliqua poena notantur spuri, quid obsteret, quominus benigniorem aequoremque sententiam sequamur, quae vel aliquo modo ex legum autoritate argumentationibus suffulciri potest.

§. VI.

Sed quanta etiam haec sint, quamque proniiores esse velimius in seruanda nominis honestate spuriorum; tamen non negamus, haec argumenta non efficere posse, vt huic opinioni calculum addamus, qui potius sequimur autoritatem STRYCKII in *Vsu mod. n. Tit. de his, qui sui vel alien. iur. et maxime Facult. Iur. Lipf.* cuius res iudicata de a. c. 15 10 c c vī allegatur apud BERGERVM in *Oecon. iur. c. l.* Quae enim ad allegatas iuris civilis probationes pertinent, plane nihil ad rem nostram faciunt. Alia enim est dignitas atque civilis ille nominis clarissimus, a quo ad natuitatis iura nunquam conclusio dari poterit. Non enim *leg. alleg. 8. n. de Senat. et C. de dign.* agunt de spuriis macula aliqua laborantibus, sed de honestis personis, quamuis ex ordinis senatorii progenie non sint, et statuunt ex regula, quod vxor conditionem mariti sequatur, etiam feminas non clarissimas, at honestas tamen, clarissimum obtinere, si senatorum coniuges fiant. Sed alia est nostra quaestio. Nam cum ignorant romanæ leges illam maculam, quam nostri mores spuriis tribuunt, quomodo extendamus leges ad notiones, quas ne romani quidem habere potuerunt. Neque Theodosianæ legis autoritas quidquam efficiet, quippe quae singularem legitimandi modum per oblationem curiae introduxerat, neque de tollenda macula, quam naturales liberi non habebant, sermo erat, sed de consequendis familiae et successiones

nis iuribus, quoseffectus ex singulari curialium favore tri-  
buebat imperator matrimonio cum curiali. Cum vero  
curiales apud nos amplius non sint, et lex de matrimonio  
cum curiali disponat, et singulare priuilegium contineat,  
consequimur, huius legis nullam autoritatem esse posse, ma-  
xime cum priuilegia semper strictissimae sint interpretatione-  
n.s.

## §. VII.

Tandem, ut ad ipsam fori nostri rationem accedamus,  
nemo dubitat, legitimam vxorem spuriam fieri ductam in  
matrimonium, seu quod vulgo exprimit, sie ista est eine christliche  
Frau, oppositiue iis feminis, qui extra coniugium masculo-  
rum amplexus patiuntur. Sed de hoc matrimonii effectu  
sermo non est. De macula tantum dicimus: an scilicet lex  
ad sit, quae singat, vxorem spuriam natam post copulam le-  
gitimam habendam esse, tanquam si ex legitimo thoro pro-  
genita esset. Iam huius argumenti legem nemo haec tenus  
excitauit inter nostros. Dein tantum sermo est, an eam con-  
ditionem efficiat matrimonium, ut in iis rationibus morum,  
quae vinculum necunt cum legitimae natis feminis, tales  
haberi queant. Constat e. c. opifices ex suis consuetudinib-  
us, sicut non ad opifcium spuriis admittunt, ita nec conce-  
dere, ut opifex spuriam ducat in matrimonium. Et in hoc,  
cum ex moribus collegiorum opificium matrimonium cum  
spuria pro prohibito vel illicito habendum sit, vix tuor adi-  
ri poterit, id, quod moribus contrarium est, iustum effectum  
producere posse, quanvis forsitan praeterquam in his specie-  
bus nemo negat, legitimam vxorem spuriam esse posse.  
Nec opus, ut tantopere, quoque nouae legis autoritas non  
superuenit, a moribus et antiquis consuetudinibus receda-  
mus, cum huic malo facilime per legitimationem seu na-  
turalium restitutionem remedium dari possit.

Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.





QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

AN

SPVRIA A VIRO LEGITIMO IN MATRIMONIVM DVCTA  
MACVLA NATIVITATIS  
LIBERETVR

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. OVIS BVRG,

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE V. MAII ANNO CIOIQCCLXXII.

DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS HAVSWALD

DRESDENS.

---

LIPSIAE

LITERIS RVM PFIIS.

